

divi falsa esse, considerabam ante omnia, utrum hæc Scriptura, quæ mihi pro verbo Dei tradebatur, sit vera & sancta: & conferens eam quantum per vires meas licuit, non modò cum Thalmude & Alcorano, sed cum omnibus traditionibus, quascunque antiquitates historia ab ipsis mundi incunabulis posterioribus temporibus servavit; video nec illos qui in hodiernum tempus tot habent sectatores, nec hos quorum religionis vix aliqua vestigia in scriptorum monumentis reliqua sunt, ita cum veritate & ratione convenire, quemadmodum libri Veteris & Novi Fœderis conveniunt. Quibus quoniam nec Cretenfis Minos, nec Lycurgus apud Spartanos, nec apud Athenienses Solon, nec Numa, Tullus, Ancus, Servius, & postea Decemviri, XII. Tabularum Sanctores apud Romanos quicquam melius constituere poterant; judico, jure optimo ab omnibus Ecclesiis Christianis ceu sanctos & cœlestes adorari. Et quamvis multa in illis reperio quæ videntur esse contra rationem, tamen & Ecclesiarum Christianarum authoritas, & debita modestia mea, denique ipsa ratio, (nam aliàs fides in scientiam converteretur, si omnia quæ nunc non assequimur certò sciremus: & prætereà quale hoc esset infinitum cujus essentiam finita ratio posset comprehendere, atque omnia ipsius mysteria possidere?) sic de iis sentire jubet, quod non sint contra, sed supra rationem. Quod cum omnibus pleno ore confitens, minime moleste fero.